



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1869

Hagiographi Lectori S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70595)

HAGIOGRAPHI

LECTORI S.

Gratam nobis accidere expectationem videndæ continuationis operis, quod tanto plausu olim ab eruditissimis exceptum fuit, lubentes fatemur. Ast dum mirantur quidam, imo et conqueruntur, justo diutius in scriniorum tenebris pressas fuisse lucubrationes nostras, et solidum octennium inter hujus voluminis et opellæ, quam die xxv Martii 1837 De Prosecutione Operis Bollandiani emisimus, fluxisse, ii profecto nunquam secum reputaverunt, quantæ hujus operis prosecutionem circumstarent difficultates, sive homines quis spectet, qui primi novo labori admoventi erant, sive instrumenta, quæ magna ex parte deerant, diuturnoque tempore erant conquirenda.

Imprimis ad opus inchoandum advocandi fuere homines, qui licet litterarum studiis plus minus exculti, alieni tamen erant ab eo disciplinarum genere, quibus Hagiographia continetur. Nemo vero nescit, quam arduum sit hominem a consuetis totius vitæ studiis ad nova traducere, et transferre quodammodo in ignotam regionem, ubi omnia prius ante exploranda sunt, quam putet tuto pedem figere posse. Etenim plane perspiciebant Neo-Bollandiani jam sibi non sufficere illa historiæ, archeologiæve elementa, quæ nemo ignorare potest, nisi in reliquis disciplinis omnino cæcutire velit; sed illas scientias ita sibi perdiscendas esse, ut etiam, si quando occurreret, ipsos magistros emendare possent. Nullam igitur quæstionem attingere ipsis licebat, quam non plene perspectam habuissent, proindeque in omnibus partibus intime fuissent perscrutati. In ipso itaque limine tempus satis diuturnum impendendum fuit in accuratum studium earum scientiarum, quarum ope occurrentes difficultates submoverentur.

Cum dein paratos se utcumque judicabant, ut descriptionis laborem susciperent, in ipso statim eorundem tot tantisque quæstionum ambagibus se circumcinctos videbant, ut clare intelligerent, si vellent tuto, non nisi lente procedere se posse. Quod ut magis benevolo lectori innotescat, consideret aliquantisper secum Martyrologiorum exempli causa varietatem multiplicem et vacillantem non raro auctoritatem: peregrinum plerisque est id studiorum genus, utpote quod extra Hagiographiæ limites vitæ excurrat. Sed tamen iis, qui ad Sanctorum Acta castigatissime edenda atque examinanda cum fructu animum intendunt, Martyrologia, quocumque nomine sive Menæorum, sive Kalendariorum etc. veniant, sunt primaria instrumenta, quibus uti oportet. Hinc sponte sua fluit, hagiographo pernecessarium esse, quantum fieri potest, accuratissime noscere, quæ hujusmodi scriptio sit auctoritas, quid tractu temporis exemplari primigenio perierit, quid interpolatum fuerit, quid valeant ejus dicta, dum de longinquis agit nationibus; num fortassis patriæ amore deceptus, regioni suæ non adscribat Sanctos, quos tulerat altera tellus. Quid quod non raro opposita inter se dicant martyrologi, quorum proin opiniones æqua trutina sunt pensandæ?

Quæ hic de Martyrologiorum studio diximus, eadem repetenda esse de re antiquaria, de chronologia atque de geographia, ejusque per varia sæcula vicissitudinibus, æquus lector facile perspiciet. Atque hæc ipsa eruditio plerumque parum prodesset, nisi accederet cognitio earum linguarum, quibus usi sunt scriptores palmares: nam plena alex scriptio est, quæ interpreti confidit. Cum porro Sanctorum res gestæ ad quæstionem revocantur, vitæ de iis prudens iudicium ferri potest, nisi cum cœterorum testimoniis conferatur: unde quoque oritur necessitas, ut hagiographus illam artem saltem aliquatenus calleat, quæ bibliographia hodie appellatur. Oportet enim in disquisitionibus ambiguis, ut sciat quid auctores saltem primarii de re, in controversiam adducta, censuerint, et quatenus ad eorum opinionones sit accedendum. Cujus quidem artis elementa nemo novisse sibi existimet, nisi libros bene multos diurna nocturnaque manu diu evolverit. Quisquis hæc attentius secum reputaverit, non mirabitur tantæ molis fuisse primum hunc tomum, quo Acta Sanctorum continuantur, in lucem præferre. Qui post Joannem Bollandum hagiographico operi admoti fuerunt, licet duces haberent expertissimos, quos tuto sequerentur, plerumque quadriennium quinquenniumve ponebant, in paranda sibi litteraria suppellectile, antequam manum tabulæ apponerent: id manifestum fiet cuicumque attentius decessorum nostrorum elogia inspicienti. Quid igitur miri, si nos sine duce, sine comite vadam tentantes incerti aliquamdiu tardique progressi sumus?

Alterum obicem operi promovendo injecit curta librorum penus, quæ licet satis ampla quibusdam videri possit, ejus tamen tenuitatis initio fuit, ut non raro inceptum opus interrumpi oportuerit, donec necessarij advecti fuissent libri, e longinquis regionibus arcessendi aut e fortuitis incertisque subhastationibus coemendi. Imo, deficientibus hujusmodi libris, qui accuratius

accuratius ac copiosius quæstionem aliquam pertractabant, variæ ad rem elucidandam notitiæ expiscandæ quodammodo erant ex aliorum multiplici lucubratione, quod profecto sine multorum dierum labore subinde præstari non potuit. Cum dein viæ ullum sit historicum documentum, præsertim si ad media sæcula pertinet, quod ad explicandas res gestas alicujus Sancti derivari non solum non possit, sed et debeat, perspicuum fit librorum inopia scribendi industriam quam maxime retardari. Quin et id non raro accidit, tunc primum inolescere libri cujuscumque necessitatem, quum jam inceperit quis in Vitam Sancti commentarium conscribere: suboriuntur enim facta aliqua, quorum causæ alius repetendæ sunt, et effectuum promanatio in seram posteritatem monstranda: quæ omnia, dum libri quærentur, emuntur, advehuntur, moram quam maxime diuturnam festinantibus objiciunt.

Nunc vero, quod læti gratique recolimus, crevit paulatim res nostra libraria, unde minus arduus quotidie evadit scribendi labor. Jam non spernendam pecuniam impendimus in libros coemendos, illos præcipue, quibus carere non poteramus ad hunc tomum concinnandum. Quoniam vero subsidium ab Augustissimo Rege nostro collatum honestæ sustentationi, epistolarum frequentium portorio, atque itineri uni alterive litterario sufficiebat, licuit nobis dona amicorum factorumque fere ex integro expendere in augenda bibliotheca. Ad hæc adjumenta accessit regionum administratorum benignitas, qui voluerunt, ut quoties liber aliquis, siquidem ad historiam spectaret aut cum eadem affinitatem haberet, publicis sumptibus excuderetur, exemplaria singula bibliothecæ nostræ donarentur. Nuper etiam Brucellensis regia Academia Scientiarum ac Litterarum, post mutuam voluminum nostrorum promissionem, nos participes esse voluit Commentariorum suorum, simulque promisit communicandas imposterum nobiscum fore quascumque lucubrationes Academicorum, in rem nostram utiles. Voluit quoque Brugensis Societas, Emulationis nomen sortita et ad explorandas Flandrici soli antiquitates instituta, ut quæ documenta historicum momentum habent, bibliothecæ hagiographicæ accrescerent.

Nec minus benefici in nos fuere variorum monasteriorum religiosi, qui lubentes nobis thesauros litterarios, ruinæ olim ereptos, patere voluerunt. Ast ingratis animi notam nobis inureremus, si inter præcipuos operis benefactores non recenseremus Canonicos regulares Præmonstratenses Tongerlœ, qui non solum nobis gratuito concesserunt manuscriptoria, quæ adhuc e Museo Bollandiano supererant, sed etiam præter codices aliquot optime notæ multosque libros nobis mutuo datos, donarunt magis quam vendiderunt, laminas æreas, quæ sculpendis Sanctorum justis in prioribus voluminibus inservierant. Pari beneficii vinculo obligatos nos habent ejusdem Ordinis Canonici Acerbodienses, qui summa humanitate symbolam suam, eandemque liberalem, in opus nostrum contulere. Eodem modo munificos se præstiterunt Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus Mechliniensis et Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi Belgii, qui jusserunt, ut nobis ad tempus liberaliter darentur illa volumina, quæ ad opus prosequendum utilia viderentur: cui quidem voluntati quam promptissime obtemperarunt seminariorum præsides. Quin et privati homines plurimi hanc beneficentiam æmulati sunt. Longum esset reticere nomina civium nostrorum, quorum largitionibus aucta fuit hagiographorum bibliotheca. Quosdam tamen, ne beneficiorum memoriam abolevisse videamur, præterire non possumus: D. Franc. Vergauwen, senatorii Ordinis virum, qui vix annum præterlabi passus fuit, quin insigni aliquo dono nos cumularet: D. Gulielm. De Viron, Brabantia olim Gubernatorem, qui exquisitissimæ copię librorum liturgicorum usum facilem nobis concessit: R. D. Pet. Xav. De Ram, Catholicæ Universitatis Rectorem, qui primus curavit, ut Bollandiani Operis continuatio Societati nostræ crederetur: plurimarum bibliothecarum et archivorum præfectos, R. D. Joan. Bapt. Malou, S. Theologiæ in Universitate Catholica professorem, D. D. Frid. De Reiffenberg, J. Marchal, Franc. Goethals, Æm. Gachard, C. P. Serrure et Jul. De St-Genois.

Extra fines quoque Belgii propagata fuit voluntas juvandi hagiographos. Ante omnes hic nominandi veniunt Reges Francorum et Sardinia, quorum uterque voluit, ut non pauci libri, ære publico editi, quatenus historiam illustrarent, regali prorsus munificentia bibliothecæ Bollandianæ addicerentur. Sic e Gallia inter alia ditati fuimus collectione mapparum geographicarum, quæ vulgo Atlas Cassinianus vocatur; e Sardinia vero, Comitibus Solar de la Marguerite, et Crotti de Costiglioli curantibus, accepimus corpus historicorum regni, quod Monumenta Historiæ patriæ appellatur: ad hæc adjecta erant alia opera summæ nobis utilitatis et maximi pretii. Ad opus nostrum opportuna documenta contulere quoque plures Episcopi eæteri, imprimisque Atebatensis, nunc S. R. E. Cardinalis, Ruthenensis, nunc Cameracensium Archiepiscopus, Tolosanus quoque Antistes, qui, litteris ad clerum datis, hortati sunt singulos, ut, si quid haberent, quod Acta Sanctorum illustrare posset, id cum Bollandistis communicarent. Archiepiscopi Parisiensis opera factum imprimis est, ut favorem regium in Gallis consequeremur. In Germania plures quoque Prælati, inter quos præcipue nominare licet Principem Episcopum Tridentinum et Episcopum suffraganeum Trevirensensem, varia submisere, quæ suppellectilem nostram hagiographicam augent ditantque. Neque silere nobis licet Ill. Joannem Mutium Antistilem Tifernatem, nec Cassinenses et Sublacenses monachos in Italia, qui summa humanitatis significatione se paratos exhibuerunt, ut apographa nobis traderent eorum, quæ in Manuscriptis suis antiquissimis et pretiosissimis opportuna reperirentur: quin et Abbas Mechitaristarum Armenus Venetiis non solum codices excubri patiebatur, sed et unum alterumque e Nostris informare ad Armenam litteraturam volebat. In Hispania, præter Patres nostros istic degentes, Illustriss. Episcopus Gaditanus obtulit nobis opus eruditissimum, sex et quadraginta tomis constans, quod España Sagrada inscribitur. Horum aliorumque beneficiorum non solum sumus memores, sed, quoties in Commentariis nostris se obtulit occasio, fuimus præcones.

Litteraria

Litteraria hæc subsidia effecere certe, ut toto forsitan biennio citius in publicum prodire poterit Operis nostri editio. Nihilominus cursum nostrum retardavit etiam penuria eorum documentorum, quæ initis laboris nostri deerant. Licet enim ingentem hagiographicorum manuscritorum copiam bibliotheca Regia Burgundica reconditam habeat, desunt tamen plurimum, quæ maxime nostra intererat reperire, nempe illa apographa quæ ad diem xv et xvi Octobris pertinent, et, si quæ servata fuere, admodum manca sunt et mutila. Quod quidem facile est explicatu. Etenim qui anno præterlapsi sæculi xvi hagiographicis scriptionibus operam suam impendebant, destructo Tongerloensi, quod incolebant, monasterio, fuga dispersi, secum asportaverant manuscriptorum codices, quibus parando septimo volumini Octobris utebantur, certi, ut ipsi quidem opinabantur, brevi se jure postliminii in antiquam domum reducendos: nemo enim in hujusmodi turbinibus est, qui non propediem easpectet restitutionem in integrum. Sed aliud placuit Divinæ Providentiæ: profugi Bolandistæ in unum amplius non convenere, quosque secum abstulerant codices, si pauculos excipias, perditum sunt. Damnum itaque resarcire oportuit non sine diuturna quisiendo et fastidiosa inquisitione, quam dein longæ ambages subsequerentur. Facilius deinceps erit, uti speramus, labor noster, quum pleraque a decessoribus collecta coram erunt: unde ex hoc quoque capite sequentes tomi expeditiores in lucem prodire poterunt.

Binis hisce causis, quæ operis promotionem procrastinabant, accedebat tertia; deerant videlicet illi catalogi et indices, sine quibus longe intricatior fuisset scribendi difficultas. In hisce autem conficiendis, ut verbis Papebrochii utamur (a), multum absumitur temporis, nec minor labor impenditur. Unde cum quadam die Antonius de Winghe, Abbas Leliensis, unum indicem accurate conspexisset, lepide hunc enimvero asininum esse laborem dixit (b). Atqui plerique istiusmodi catalogi, alio forsitan asportati, perierant. Primæ itaque curæ eo conferendæ erant, ut indices renovarentur. Imprimis restitendus fuit catalogus Sanctorum, prout qualibet occurrit die a xv Octobris ad xxxi Decembris: evolenda itaque fuere, quotquot reperire potuimus, Martyrologia, Breviaria, Kalendaria et similes libri sive manu exarati sive typis excusi, qui Sanctorum nomina secundum mensium et dierum seriem edicunt: ut porro sua stare auctoritas hujusmodi ephemeridibus Sanctorum universalibus, singulis nominibus singuli tituli apponendi erant, quibus cultus probaretur: dispiciendum deinde erat, num hi Sancti, quorum nomina occurrerant, sua apte sede repositi essent, num fortassis de iisdem jam in præcedentibus tomis actum fuisset: tandem religiose examinandum erat quosnam Sanctos, in posteriores anni dies rejectos, retractare oporteret. Tali indice facile et nobis et successoribus nostris, si quos nos habere Deus voluerit, fit non solum definire quinam Sancti diebus singulis occurrunt, sed prævidere etiam quæ necessaria erunt documenta, ut opportuno tempore allata moram et tædium scribenti non facessant.

Alter dein index operosi contextus conficiendus erat: fastidiosum nempe fuisset, quoties de Sancto aliquo ageretur, per peculiare quinquaginta duorum voluminum indices tum historicos tum typographicos discurrere, ad videndum num forte de eodem Sancto quidquam tractatum jam fuisset: ad tantum vero laborem, non raro etiam inutilem, læcandum, non aliud præsto erat remedium, quam ut omnes singulares indices quinquaginta duorum tomorum in unum generalem conflarentur; hac scilicet ratione uno fere obtutu complecteremur quidquid in præcedentibus voluminibus continetur, parceretur tempori, labori, tædio. Ut vero operis utilitatem summam agnovimus, non dubitavimus ingræte sedulitatis fastidium subire. Itaque singulos indices, e binis exemplaribus extractos, in tænas exsecuimus ac omnia quæ ad unam personam vel locum pertinebant sub una rubrica secundum litterarum seriem posuimus. Opus multæ longanimitatis, quod maximo compendio scribentem juvat, indicitque uno ictu oculi quid prædecessores de persona, loco, vel quæstione aliqua censuerint, quid etiam accuratius, data opportuniore occasione, retractandum sponderint. Complectitur index iste decem tomos formæ majoris: atque id etiam emolumentum habet, ut viam sternat indici generali, qui universo operi coronidem, Deo dante, aliquando imponet.

Neque tamen hic indicum læcendorum finis fuit. Etenim recensendi etiam erant sub Sanctorum nominibus codices manuscriptorum bibliothecæ Regiæ Bruxellensis, non ii solum qui sub Bollandianæ Collectionis nomine veniebant, sed alii etiam, quatenus hagiographiam attingebant, quibus abundat litterarius hic thesaurus. Juxta factam recensionem disponendus fuit catalogus, qui singulorum manuscriptorum, imo uniuscujusque Vitæ prima et postrema verba referret: ut hac ratione discernere possemus, quæ coram haberemus documenta ad Sanctorum Vitas illustrandas, quæ vero alii in locis servata deessent, et suo tempore essent nobis transcribenda. Ut autem nobis innotesceret, ubinam laterent hagiographici apparatus, excolere nos oportuit variarum gentium viros eruditos, quin et instituere plura, tum intra tum extra Belgium, itinera litteraria, quibus arctius, intimius et securius scientificæ necessitudines conciliarentur. Hæc omnia ejusmodi sunt, ut unusquisque sibi persuadere possit diuturnum tempus impendendum fuisse quærendæ et rdinandæ litterariæ suppellectili: quæ nunc, utcumque parata, faciliorem viam sternat ad scriptionis diligentiam promovendam. Hæc dicta sunt iis, qui fortassis putent nos justo diutius procrastinasse hujus voluminis editionem.

(a) Vita P. Joan. Bollandi, t. I Martii, p. xviii, n. 33. — (b) Ibid.